

221
CARMINA GRATULATORIA.

Nuptijs

Reverendiet Perdocti Viri,
**DN. CHRISTO-
PHORI METTERNACH,**

ECCLESIAE HORNBACKENSIS

Administri, Sponsi;

Et

**LECTISSIMÆ PUDI-
CISSIMÆQUE VIRGINIS**


JOHANNÆ KESLERIN, Ornatissimi
et Spectatissimi Viri, Dn. WERNHERI
KESLERI Bipontini, filia, sponsa, ad
diem XIII. Febr. An. M. DC. X. Biponti
celebrandis; honoris, boni ominis &
amicitiæ ergò scripta, dicata
ab amicis,



ARGENTINÆ

Excudebat IODOCUS MARTINUS,

Anno clō. dc. X.



1. ad Corinthios 7.

οἱ ἔχοντες γυναῖκας, ὡς μὴ ἔχοντες ὦσι.

Qui habent uxores, sint ut non habentes.

Senarij Iambici.



Onore quovis est dignum connubium.
Sed omne momentum non est in eo situm.
Fœlicitas nec omnis, nec summum bonum.
Fœlicitas summa, ac summū bonum, Deus.
Hoc omnibus nervis nos persequi decet,
Eoq; gaudere uno ex imo pectore.
Bono huic thorus genialis non æquandus est,
Nec præferendus. tanti non sunt liberi
Ut nec marita dulcis. qui diuortium
Mavult Dei, quàm istorum; qui sanctam fidem
Curamq; numinis, jugali præ fide
Curâq; spernit, post habetq; fallitur,
Arundini miser incumbens firmæ parum.
Amor Dei dux in cœlum, non coniugis,
Finitur hic terris, ille æternū manet.
Quare impia est vox ista serui comici:
Me fœmina illa amet. malo, quàm vel Dij.
Tu sponse METTERNACE diliges tuam
Nuptam, sacra quo litteræ jubent modo.
Amabis ut bonum, sed non summum bonum.
Primum dabis locum terrenis in bonis.
In sempiternis primus est bonis Deus.
Tarsensis hæc est mens Apostoli, cum ait,
Tibi sit uxor, ac si uxor non sit tibi.

*Henricus Fabricius Tabernemontanus.
Philosoph. & Med. Doctor, Poëta
Laureatus Cas.*



Alind.

Magna viris habita est quondam reverentia doctis,
In pretioque DEI Præco fidelis erat:
Nunc nihil hoc ipso contemptius ordine cernas,
Nec, vulgi arbitrio, quod minùs esse velis.
Indecorem thalamo talem quoque Nympha maritum,
Si quam condecorat Resque genusque, putat.
At favet, atque suis benè consulit ille ministris,
Quo Duce stat Priscæ Relligionis honor;
Ille tibi hanc spondet, Christoffere, Pronubus: in qua
Conspirat lectæ conjugis omne decus,
Forma, genus, dos, integritas, industria, & ipse
Virtutum custos cultus amorque DEI.
Hanc cape fatorum comitem tibi; & auspice Christo,
Quoslibet in casus dulce levamen habe,
(Nam non subsidium est miseri præsentius ævi,
Quàm pia, quæ Superum, Nupta, favore datur)
Hac age stipatus, tranquilla per otia, vitam,
Casta verecundo gaudia carpe sinu.
Si tamen & placidos fors dura fatiget amores,
Si qua petant vestrum fata sinistra torum,
Quam colitis, qui vos jungit Paranympheus ad aras,
Christus, erit dubijs Ara salùsque malis,
Hujus opem junctis humiles exposcite votis,
Ille dabit castas pondus habere preces.
Interea & vigili Sponsam complectere curâ,
Quam proprio lotam sanguine Christus amat.
Id dulcis moneat te amplexus amorque IOHANNÆ
Umbra sit illius vester amoris amor.

*Isaac Cramerus Schola
Hornbacensis Professor.*

Aliud.

O Re animisq; boni (celebramus sacra) favete,
Cùm Metternachio nupta Johanna datur.
Desine mirari: non dignior esse, minister
Quàm Christi, quocum contrahat illa potest.
Christus mortales quæ sit via prima salutis
Edocuit: nostræ non erat illud opis.
Christus inaccessio vestitum lumine Patrem
Monstravit: nostræ non erat illud opis.
Christus peccatis quæ præmia debita nostris
Dependit: nostræ non erat illud opis.
Christus nos, socij percusso sædere regni,
Adscivit: nostræ non erat illud opis.
Debemur Christo nos, nostraq;: nobile Christi
Plena ministerium verba salutis habet.
Huius tu Servo cùm nubis culta Johanna
Quid precer? ut Dominus pronubus esse velit.

Iacobus Heuser.

Aliud.

O Jova magnum qui regis æthera,
Qui cuncta terrarum variâ vice,
Mystæ jugando sis amicus,
Et bonâ avi bona virgo nubat.
Crescant modestæ divitiæ; insonent
Jam tecta gnatis, jamque nepotibus:
Vivant solutæ gratiæ, oras
Exsulet Aemonias Erinnyes.
Tu quando fluxam sic reparare amas
Gentem Promethei: tu socium genus
Nexu maritas conjugali,
Et jecur ingenuum peruris.

Petrus Boesius.

Aliud.

Aliud.

Clangor ades: properent Iuno, Venus atq; Minerva,
Vt thalamis resonent gaudia: clangor ades.
Clangor adest: adsunt Iuno, Venus atq; Minerva,
Et thalamis resonant gaudia: clangor adest.
Clangor adest: et iō Neonymphis dicimus ipsi,
Mille quibus veniunt prospera: clangor adest.
Clangor abi: & sacri velum mea tibia cantus
Contrahe: vos longū vivite: clangor abi.

Remigius Hallovi.

Aliud.

Confessa res: nī Tiresias fuis:
Vtroq;, natis endo magis venit
Confessum idem, quotidianō
Casibus ad barathrum usq;, luctu:
Rigore quanto heu polypus illicis,
Quantisq; punctis, nos agitet DEÆ;
(Sit turpior seu fortè mixtus)
Haud secūs atq; canum illa Triga.
Cœlestis auræ hinc particulâ, & boni
Vsu sepulto luminis, imperat
Natura tantū: quot barathrum
Foemineum barathrum negares?
Barbatenus quin vel sapientibus,
Videmus æquē: nec sine scandalo:
Nunquam à dolo, Torquillam, omissam,
Pendere sæpè jugum pudendum,
Quid prima pubes, dum juvenabitur?
Viriliorem foemina poplitem
(Heu mille tercentena nobis
Illicia invigilant) quot ægris

Spiculis doloꝛat, conficit, inq; aquam
 Terramq; reddit! Vera resolvo, apum
 Vt qui irruissem panẽ in agmen:
 Lotophagusq; patris labore
 Lemnĩ retentis crediderim miser,
 Euge ergo, quantò rectiùs egeris,
 O digna Metternachiorum
 Et pia nobilium propago:
 Dijs ordinatis dum bene præbjs,
 Has inuenuſtas excutere appetis,
 Teſtẽ latentĩ blandientes
 Perpetuoq; faces veneno.
 Sic victor harum, ritẽ Johannaſtã
 Ibis medelã dein licitã tibi.
 Nunc arduũm aſcende, eugiumq;
 Frange, quibus poteris figuris:
 Primũm ſecuturo tamen, ut precor,
 Metternacello parvulo amabili:
 Hunc ſubſecuturis tot; ipſe
 Alſaticæ quot ego puellæ,
 Quũm nuper iſſem (forſan amaſiſtã
 Dices, ad uſum Gorgonej gregis)
 Meridiatum, ſum precatus:
 Quot bona parturiatq; matrix.
 Patremq; prodat filius optimum.
 Ruborẽ matrem filiaq; optimam
 Prodat: pio ſit fida ſponſo
 Portia ſponſa, Johanna grata.
 Captum omne vobis cedat opus bono,
 Fortuna largis plenior affluat
 Cœlo quadrigis: mens & unum
 Corpus amate manum Sybillæ.

*Cursum omina vi: tu fidei in mea
Vicem: manum jam quippè Themis sequor,
Cujus profundo ad Pegaseum
Imperator ire piger liquorem.*

I. H. Coccejus. Juriss.

Aliud.

Huc huc ò facilis Puer,
Divinæ Charites, turbaq; sua vior
Siqua est, dulcisonis novè
Non tentata prius gaudia, vocibus
Nunc sponsi bona dicite:
Inventum est animæ dimidium tuæ:

Tectum quod fuerat palam,
Optatò socium ducitur in thorum.
Sponso gratior haud dies,
Nec nox dulcior est. Optima gaudia,
Quid suaves heteroclite
Pungis delicias? quid male vellicas?

- ” Quisquis uxorem ducere deliberas,
- ” Desipis; fortunæ faber es pessimæ.
- ” Namq; inops ditem si tibi conjunxeris,
- ” Servus es: dives munera servilia
- ” Imperabit iurgando; hera, non uxor est.
- ” In thorum pannis obsita si ducta sit,
- ” Te premet jam duplex labor: impofterum
- ” Os duplex & victum duplicem postulat.
- ” Non diu grata est tetrica deformitas.
- ” Tum placet mœcho blandula formositas.
- ” Omne vis dicam? Conjugi sunt dies
- ” Vix duo cuiusvis hilari; primus est,
- ” Qui sacri firmat conjugij copulam;
- ” Firma cum letho rumpitur, hic alter est.
- ” Ergò vitatâ conjuge vitas malum.

Narrando varios iners
Casus conjugij cum miserabiles.
Illud despicis, & nihil
Sectandum minus, erras Canis improbe.
Prudens cuncta DEVS crucis
Condivit sale: sed gaudia miscuit.
Sic quoq; difficilem thorum
Stat Trino facilem reddere Numini,

At tu si tibi seria
Res sit, supplicium grande feras mise:
Te gens aurea virginum
Pellat lætitijs protinus exulcm:
Te vitet mulier: Decus
Occultum jaceat nullius ordinis.
Nugis i levioribus
I nunc Lulle tuis, rodere nuptias.

Melchior Barth Bipontinus SS. Theolog. studiosus.

× *Aliud.*

Papa Ministrorum reijcis, cur impie tœdas?

Cur socij rodīs fœdera casta tori?

Presbyteros quoniam spurcari hoc ordine censēs,

Carnis & illicitæ turpe videtur opus.

At nobis diversâ placent, diuersâ jubemur

A verbo passim saluificante DEI.

Coniugijq; refert autorem pagina Mosis

Prima, fluunt à quo non nisi casta, DEUM.

Hinc parui Papæ ducis Christoffere nugas,

Assumens sponsi munia grata pij,

Hinc multi pariter meritò gratantur amici,

Soluentes Thalamo plurima vota tuo.

Nec minus ipse tibi grator noue sponse maritâ,

Forma, pudor, pietas, cuius in ore viget.

Vos benè conseruet cœlestis gratia sponsi,

In gremio sponsæ vos foueatq; suæ.

Viuite concordēs, numerosâ prole parentes,

Exulet à vestrâ mœsta querela domo.

Ioannes Kercherus.

F I N I S.

